

## **Exercitatio academica de acidulis Engstingensibus / [Michael Elwert].**

### **Contributors**

Elwert, Michael.  
Camerarius, Alexander, 1696-1736.  
Universität Tübingen.

### **Publication/Creation**

Tübingen : J.C. Reis, [1719]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/knmn3qbe>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

EXERCITATIO ACADEMICA

De

ACIDULIS  
ENGSTINGENSIBUS,

Quam

*Gratiosæ Facultatis Permissu ,*

P R A E S E S

D. ALEXANDER  
CAMERARIUS,

Medicinæ Professor Extraordinarius,

Et

*Respondens*

MICHAEL ELWERT,

Reutlingensis,

PUBLICO EXAMINI SUBMITTUNT.

In Auditorio Medico.

Ad diem . Martii. M D C C X I X.

T U B I N G A.

Typis JOHANNIS CUNRADI REISII.

500 000

ACADEMIA CATHOLICA

ELLI TROPI

12



## Σ. Θ.

*B. MARTINUS CRUSIUS SUEV. ANNAL.  
Liber. Paraleip.  
Cap. XII.*



Nter communicata varii generis de locis & rebus Alpium Suevicarum, de pago quodam, Klein ængstingen dicto, ita scriptum reliquit:  
*A Pfullingå (non longè à Reutlingå distito vi-  
co egregio, nunc oppido.) ad Danubium ver-  
sus uno milliari distat: Ab Auraco vero ses-  
quimilliari.*

*In hoc pago, medie circiter, inventus est anno abhinc tertio  
& vigesimo, Christi sc. 1580. fons acidus: comparabilis virtute vel  
Jebenhusano fonti acido: qui non longè a Goeppingensi distat: & e-  
iusdem cum eo efficacia est: nisi quod minus aquæ Jebenhusæ est,  
quam Gœppingæ. Cum Kleinængstingenſis acida aqua elixatur: su-  
pernè spumam parit aurei coloris, ad glaucum vergentis. In cuius  
examine, Reutlingensis Medicus Alexander Camerarius, multum a-  
luminis & sulfuris reperit. Occasio autem inveniendi hujus fon-  
tis haec fuit: quod supra dicto 1580 anno, aquæ penuria in hoc vico  
laboratum est: Itaque ut potus suppeditaret pecori: vena quæsita est,*

& hæc reperta, in loco humecto. Foderunt agricultura publico decreto. Sed, quod interdiu foderant, noctu concidit. Ideo decem circiter dies in fodiendo & muniendo consumpti. Quò cùm deinde unus, mox aliis, inde tertius, descenderent: in deliquum animæ delapsi, extractique sunt. Altitudo fontis est 24. pedum: isque plenitudine sui exuberat, & bullit sursum versus: ita ut vici noëte exaudiant. Qui si clauderetur, forte faceret idem, quod in Teccensi tractu Hattenhofensis fons. Hic, cùm quodam tempore ab indigenis inclusus contactusque fuisset: omnia impedimenta, libertatis studio disjecit. Proinde nihil ei impositum est, nisi crux lignea: ut evaporatio libera esset. Potabilis tamen est absquenoxia. Ad quem cùm mulier, mensibus laborans, venit: munda fit ea è vestigio: ipse verò fons inquinatur, cure quasi rubida obductus: sed intra horæ spatum, suâ natura repurgatur. Ad leprosi quoque accessum decoloratur. Profuit autem Kleinængstingensium acidulum lavatio non nemini: ut, Martino Fischæffio, cellario pfullingeri, 1580. anno, deinde, Joannezri nostro Jacobæo, & aliis.

Effoderunt ejusdem pagi Rustici, alterum fontem, anno 1590. mense Octobri & Novembri, spatio 20. passuum à fonte acido. Ibi duos Sarcophagos repererunt: quorum prior, ferè corruptus fuit: partibus tantum, quæ abiegnæ fuerant, reliquis: alter verò ferreus, benè munitus, & aspectu ferè novus. In quo, ossa quidem reperta sunt. sed propemodum marcida: & lignum, lignet pedis referens speciem (qualis est calceolarii mustricola) superius etiam marcidum. Item aliquid argenteum, digiti longitudine, cum foramine, quo appensum fuit. Terra, quæ effodiebatur, quodammodo cœrulea fuit: nec limosa, sed arenosa: neque densa, sed laxa: pro natura locorum aquosorum. Fontis hujus altitudo, propemodum 30. pedum est: & ipsa aqua, Cyanei coloris. Dictum est ab antiquis, facellum in hoc loco fuisse: ut verisimile sit, Barones liberi Kleinængstingensis vici, ibi sepulturam suam habuisse.

**E**xpræmissis facilè patet ratio, quæ nos moverit, ad scilicet gendum hoc thema: sc. quod concernit *Respondentē Laud.* b. m. primus aquæ nostræ probator fuit benè olim Antecessor in officio Dn. Parentis in Lib. Imp. Civ. Reutlingā Physis; quem longâ quoque retro serie recolit *Præses Atavium Paternum*, & quem secutus Ejusdem B. *Avis* dedit olim successivè dissertationes tres de *Acidulis* in genere. Liceat ergo nobis tentare aliquid circa idem objectum, & commentari paucis, quæ ipsi cùm fontem adiremus (excursione quidem eò factâ ab illâ *speluncâ nebulosâ*, cui celebre à curiositate multorum inter nos nomen est, &, si placet, posthac darî etiam poterunt aliquot pagellæ) vidimus & audivimus, de loco, modo, & uisu aquæ, cui nomen à pago, & quæ vicissim pago famam conciliat.

Videri quidem posset thema hoc esse nec *de tempore*, nec pro *loco*: Non hoc, siquidem huc aqua illa non defertur, sed Tübingeribz bibuntur acidulæ modò *Deinacenses*, *Nidernauenses* & *Börstingenses*; Nec illud, quia hyems adhuc est, dum hæc scribimus, ad principium veris ut speramus publicè proponenda, nondum potui oportuna ætas. Verum enim vero ut posterius prius declinemus, hoc ipsum spectat ad universalitatem dictendam usûs aquarum harum sapidarum, scil. bibi ipsas etiam emni tempore: Mediâ hyeme, sive strictâ sive laxâ, adveniunt bajuli, & congerunt urceos, vitrea vasa, dum assueti vel in mensa, vel in casum tantum non omnem, in lecto, carere nequeunt, vel nolunt, acidularum potu ipsis familiari, hinc, quod inexperti mirantur, sibi nunquam intempestivo. Quod autem concernit prius, conditionem scil. Loci, dandum erat aliquid & aliis, vicinis, si vel maximè ab Engstingâ ut aqua salubris huc non advocetur, vel eó se non conferant nostri. Et fatendum est, nondum esse tantum ibi confluxum hospitum, ut ædes ipsis excipiendis propriæ fuerint exstructæ. Quod si quis tamen rationes habeat eò se conferendi, vel in pago ipso, vel viciniâ

commoditatem inveniet commorandi; Nec enim *Alpes nostræ* sunt inhabitabiles, vel inhospitales, æstate maximè.

Sunt ergò *Wurtenbergiae*, cui de subsidiis naturæ etiam medicis bene fatis prospectum ab Autore T. M. T. O. fontes salubres *aquarum dictarum acidularum* numero tres: Celebrantur in primis *Deinacensis & Göppingensis*; Hos pone sequitur *Engstingensis*: plures sunt partim in *Ipsò*, sed non de Ducatu, partim ad fines patriæ, propinqui, nostratibus minimè ignoti, nec in usitati. Respectu *Tubingæ nostræ* primus situs versus occasum æstivum hinc distat plus quatuor milliaribus. Alter versus ortum æstivum, sub distantia vel sex milliarium; vicinum habet *Jebenhusanum*; & ad eundem fluvium altius *Überkingensem*. Tertius versus ortum hybernū propior urbi est, non multum ultra tria millaria remotus. Cæteros ad tractum *Nicri* superi suo recenset ordine *Disp. Vener. Dn. Par. d. Acidul. Nidernow.* scil. *Bieringensem*, *Sulzauensem*, *Bærstingensem* & *Imnauensem*: Et qui supersunt *Rippelsaviensis*, *Petri. Antegast. Griesbacēsis*, eò via quoque ad occasum ducit medio ferè itinere *Argentoratum*.

Sic primum *Locus* exhibet phænomenon, scil. fontem nostrum quà *Solum & Unicum*. Dum laudd. modò fontium plures solent vel concurrere quasi, vel non multum ab invicem distare, noster longè satis latèque non habet socium sibi similem: Hinc & quà *Alpestrem*, seu proprium alpibus nostris, excelsæ regioni, undè vel ad ipsas Rhæticas, nive jugiter tectas, pertingit prospectus, quod in specie de arce Lichtenstein, vix horulâ ab acidulis nostris distante, perhibet laud. *Crusius*. Cùm *Sylvæ Nigræ* major sit pars memoratarum acidularum, & cùm alpibus subsit triga orientalium istarum, unicus in patriâ nostrâ scaturit in ipsâ montium altitudine. Inde proponendus porrò quà *Montanus*, non ut cæteri omnes ad radices montium, in valle humili, ultrò erumpens, sed in loco bene alto effos-sus, & consensu montis prolixo & molesto adeundus. Nec tamen simpliciter & absolutè solus est illi pago, saltim unus est aci-

*acidus, inter plures dulces.* Scil. à temporibus *Crusii* fuerunt effossi per hunc pagum pñtei adhuc vel *decem*, quorum tamen nullus aquam præbet acidulam, nam præter nostrum cæteri omnes habent quidem potui benè aptam, sed insipidam; prærogativam pro conditione loci insignem, dum ulteriores in alpibus pagi non bibunt nisi pluviale, quam ab ædium tectis in cisternas colligunt & servant.

De *Origine Fontium* hîc non agemus ex professo, sed juxta dictum verborum *P. Lanæ*, Mag. t. 2. p. 185. (*fontium non eandem omnium esse originem, sed aliquos esse à pluviis, alios à liquatis nivibus, nonnullos ab aere, frigore densato, & in aquam converso, plures etiam ab aquâ, in vapores sublimatâ mediantibus ignibus subterraneis, originem suam ducere*) quærenus ante omnia obiter: *Utrum videatur alpestris regio apta ad cogendos vapores, juxta artificium Ejusdem p. 74. fontem in aridissimis locis & æstivo tempore copiose perenniterque manantem creare;* scil. in cryptâ lapidibus sui generis fornicate, ad quam via subterranea ducat longior, ut eò succedere possit aer, externo calore dilatatus, interno frigore condensandus. Deinde disputationi materiam proponimus: *utrum ex dictis hypothesibus fonti nostro secundum dictas & adhuc dicendas circumstantias & rationes non sit convenientior illa, quæ est à nivibus & pluviis, vel in totum vel in tantum. Ex mappâ patrîæ novissimâ geographicâ constat, rivos nostros à meridie venire plerosque omnes à tractu illorum montium, terminum ipsorū à quo esse alpes. Transseant celebriores fluviorum fontes, Blavi, Brenzæ, quin Nicri & Danubii ipsius, &c. non quòd non mereantur inquisitionem curiosam, sed quòd a nobis sint magis remoti, nos autem illi expediendæ nōndum simus pates.* *Crusii* verba modò transcribimus de vicino pago Holzelingâ: *Situs est hic vicus, ubi terminantur Alpes: supra Alpium catabathmum (an der Staig) vel descensum, ab Austro Reutlingam versus proficiscentibus: in loco salubri, & per æstatem amœno: Aqua ibi viva & bona: sed aliquan-*

to spatio, ex catabathmo sursum portanda. Quò autem magis Alpes penetraveris: horrorem majorem repereris. Vere Holzelingæ tepido, illic adhuc hyemale frigus est.

Videtur itaque regio ipsa aspera, dura & sicca fluidum suum sibi ipsi non servare, vel non gaudere fontibus, sed dolere vacuas cisternas, si diu non pluat, dum ad humiliora fluidum, quod ab ipsis tamen venit, juxta determinationem imbibentis, transcolantis, colligentis terræ, & juxta fluxum atque tractum subterraneum per secula introductum. Illustrationis gratiâ ponamus exemplum ex communicatione factâ ab Amico Paterno, de puteis non ita pridem feliciter effossis *in pago*, Engstingæ vicino, versus occasum, *similiter sito*, sc. ubi alpes ad nos incipiunt quasi declinare: primus & præcipuus istorum ab illo *Curioso* quæsitus & obtentus scribitur habere tres venas aquæ vivæ, deprehensas præter spem sub profunditate trium pedum, subesse adhuc totidem pedes terræ nigræ, porrò rubrum tenacem limum sive lutum, cum intermixtis lapidibus, & tandem per durum saxum sive petram fuisse fodiendum ad sex pedes; sed absque eo, ut ulterior vel profundior inventiretur aquæ vena, oportuit illâ esse contentum, hanc dextre colligere & servare. Sic puteus ad sedecim pedes aquam tenet, & tempestate humidâ desuper effluit per canalem ad latus, sub intemperie autem annorum siccâ, qualis æstate ultimâ ad excessum, superfuit tamen aqua ad duarum ulnarum profunditatem, sufficiens pro usu quotidiano. Ad exhaustiendam æstivo tempore aquam laborandum est duabus personis per diem integrum, & per noctem tantum aquæ recolligitur, quantum satis foret vel pro replendâ amphorâ. Sic potior est hic cæteris per pagum, inter quos venæ quorundam velexarescunt, vel evanescunt. Omnes autem liquatis nivibus & pluviis debent incrementum, his respondent, illarum delapsum sequuntur, utut ad puteos ipsis immediatus non detur accessus. Quâ occasione nec hæc observatio geographicâ prætermittenda, quippe

quippe declarans fluxu super terram, qualiter consimilem subtus & intra terram fieri concipimus: Scil. *Stillicidium ibi pluviae* ab eâdem *domo* determinatur *in plagas oppositas*, pars defluit meridiem versus *in die Lanchert*, & cum hâc in *Danubium*, altera ad septentriōnem *in die Wisaz*, indè in *Nicrum*, & cum hoc in *Rhenum*. Ita sanè comparatum est cum exortu fluviorum ad utrumque latus & qs. à tergo engstingæ scaturientium. Ab extremo vallis ad imum *Crusio* dicti catabathmi, quo itur ad fontem nostrum, defluit *die Echaz*: Ad ortum *offenhusæ die Lauter*, ad occasum *die Lauchert Erpfingæ & Melchingæ*, utrinque vix ad milliaris distantiam, oritur: Prior aquas suas *Rheno*, posteriores *Danubio* transmittunt. Clariora hæc omnia ex inspectione chartæ geographicæ, quantò magis itinere ad loca ipsa, confirmant, scaturigines maximè proximas (*von Talheim die Staig hinauf*,) esse utique in loco alto, sed cui tamen est vicinia altior, à quâ facile concipitur declinatio ad locum eruptionis. Non possumus prætermittere, quin referamus huc *Metallifodinarum aquas*, non pro dignitate negotii, tædiosi & sumtuosi, sed ex occasione modò eorum, quæ nobis relata fuerunt de vel quinque deorsum successivè puteis effossis ad radices vinearum *Reutlingæ*, ubi fuit deprehensum, *die tagwasser* se extendisse in profunditatem 20. orgyiarum, reliquum adhuc per harum 60. siccum fuisse. Undè desumemus differentiæ hujus rationem, nisi ex diversitate soli, aquas fortè hîc admittentis, ibi excludentis? subest enim longo illic tractui lapis quidam fissilis, per quem tamdiu jam foditur, habentem se huc usque modo eodem; tandem tamen videtur perveniret esse infra illum ad alterius generis saxum, sub quo spes est meliorum.

Si quis autem in scrutinio fontium se velit exercere, habebit fortè thema curiositate suâ dignum in iisdem paralipomenis *Crusii*; sc. c. 4. de Monte Teccio: *In eo loco* (altitudine sc. supra montem) *orientem* versus *fons aquæ vivæ scaturit*, *idque ex tribus locis petræ*: &c. *Lapideum ejus aquarium*, vel crater, figura quadrata est, quoquo versus latitudine pedum circiter xx. eâ altitudine, ut decem, aut amplius lapideis gradibus descendatur. *Ipsa in illo aqua*, viri profunditate est.

Miracertères, in tam excelsò monte, à cæteris omnibus separato, aquam ultrò subsilire: & quotidie Lx. pecoris capitibus potum largè præbere. &c. quin imò aestate quondam fervidâ, quando rivus Lautera ita attenuatus fuerat, ut à peronato aratore propter brevitatem facile vadari potuerit, fontem hunc Teccensis montis eadem altitudine jugiter permanisse. Quandoquidem hæc confirmantur à Bauhino, pag. 14. itaque merentur eò magis à curiosis vicinis examinari accurati.

Sed revertendum est ad fontem nostrum, ut ipsius examinemus phænomena, illi satis conformia hypothesis: Etenim cùm sub finem astatis ad eum venissemus, oppidò mirabundi observavimus paucitatem aquæ in puteo, prætenso sex orgyiарum, Klafter, profunditatis. Utique debebatur hoc multitudini haurientium & exportantium paganorum & bajulorum, sed & pauperiori thesauro subterraneo, quem tamdiu destituerant pluviae, tributum non solventes; ex post facto tamen penuriam iterum suppleverunt suo tempore largiores.

Notabile porrò fuit, acidulas nostras in suo puteo non stagnare simpliciter, vel stare quietè tranquillas, sed iugi quodam motu non absque sono sursum qs. ebullire, cùm tamen sint frigidae. Copiam aereæ elasticæ substantiæ acidulis nostris non denegamus, huic tamen rationi soli vix sufficienti ad latus ponemus alteram. Crusius ex hoc capite fontem nostrum comparavit alteri, quem non prætermisit olim Joh. Bauhinus, fontis Bollensis cum omni viciniâ curiosus descriptor, aquæ tamen acidæ Hathovenis puteum, lapide cæso exstructum, quem circum lichen s. hepatica coronaverit, regi impatientem non dixit, comparavit modò cum illo Petri in valle Griesbachianâ, saporis, quod miramur, ferruginei. Sed in E. N. C. cent. 2. O. 69. Cel. Lentilius d. aq. medic. canstadiensi: Dicebant tantum esse aquæ per canalem in æstuaria profluentis impetum, ut tecturam per asseres non ferat, sed magno cum fragore dictos asseres hiscere faciat. &c. Id vero de particulis actiæ hujus aquæ testimonium perhibet, contrarios omnes ausus elidens.

Rationem tamen habere insuper convenit adventūs aquæ cum aere & delapsūs ab alto, ut impetus illius ebullitionis vel quasi talis

sit non tam à motu intestino, quām progressivo, protrusorio. In hujus rei argumentum citamus relationem nobis factam à loci senioribus: olim ad distantiam à puteo vel centum passuum *ex solo herbo* sponte prorumpentem *scaturiginem aquæ vivæ*, & qualitatem hujus *acidulam*, fuisse observatam, sed à possessore prati repressam, & terrâ obrutam ac vi obturatam, ut sui hæc tenus non dederit indicia. Incertum adeoque an & quantum fontium alter cum altero communicaverit: Vero similiter tamen fuit una vena, quæ modò in viâ quâcunque de causâ perruperat. Et *præstisset* forsitan, servasse locum istum, in libero campo altiore, fonti aptiori, ac in medio pago: Ubi certè mirabamur nostrum fontem adeò vicinum esse stagno impuro, quod in potum saltim vel lavacrum pecori venire solet, & vocari in alpibus, *eine hyle*, aquarum colluvies. Utrum tandem acidus *inter* dulces, impetuosus *inter* tacitos, petat aquam suam *ex communi* cum his hydrophylacio, vel *diversum* habeat sibi proprium promtuarium, ubi? de longinquo vel propinquiori? Sive an noster aliundè *deferat*, vel in decursu acquirat suam gratiam, cæteritalem *nunquam habuerint*, vel in itinere *perdiderint?* requirit topographiam accuratiorem, ac nobis tantisper ibi commoratis *præstare* licet. Manet in tantum acidularum fons ratione non unâ singularis.

Forsan communem cum prioribus rationem habet phænomenon *turbationis & purgationis* fonti tributarum, *accessui fæminino adscriptarum*. Miror tale quid non extare in *Plinio*, cùm tamen menstrui portentosa mala recensuerit magno numero, loco non uno, ubi nihil facilè reperiri mulierum profluvio magis monstrificum scripsit, sc. l. 7. c. 15. sic incipit: *Aescunt superventu musta, &c.* Ut autem tenaces solent esse traditiones, sic & hæc mansit, & illic adhuc durat apud quosdam; ab aliis applicari voluit ad casum, quo hauriatur aqua *pro balneo ægrorum*, prætendendo, nescio quo sensu aquam inde debilitari fieri infirmam, & ex hoc capite puteum melius fuisse custoditum. *Cute obduci aquam*, phænomenon quidem est, à *Bauhino* observatum in superficie fontis alterius medicati prope *Boll, Rappenzagel*, cuius aqua coerulea visa, odore sul-

phuris gravi, mota veluti nebulæ albicantes innatabant, cum tamen subtus pura esset. Referebant rustici, nisi præcedente die pluisset, superficiem albam futuram fuisse. Sed de imputatione inquisitionis mulieris menstruatæ ibi silentium. Nec quidquam tale legitur in l. c. Eph. d. aq. canst: *Fontis tamen alterius aquam singulis mensibus pedetentim ac denique valde turbari, hinc subito re-clarescere: natum inde fæmelle nomen, q.s. menstrua pateretur fons iste.* Si quid ergò observetur circa fontis engsting. tempore uno præ altero claritatem majorem vel minorem, quæ tamen sub istâ profunditate non videtur facile dignoscenda, circumstantiæ omnes posthac accuratiùs erunt attendendæ. Menses quidem hodiè non amplius adeò malè audiunt, ac olim; posse autem fisti hau-riendo aquam tempore & loco humido, facile concipitur, sed malè, non meretur hoc dici fœminam fieri mundam, quod ægram faciet: vice autem ipsius impuram fieri aquam, quasi huc trans-lato morbo, difficile conceptu, creditu. *Scheuchzerus* fontes interdum ultrò turbari solitos barometricos dixit; scil. aere minus gravi, minus premente, bullulæ de fundo erumpunt, & lutulen-ti quid secum attollunt.

Sed pergendum erit ad examen hujus aquæ chymicum. Adscriptum ipsi fuit multum *aluminis & sulphuris*; Metalli, Salis, Vitrioli, Nitri, & cæterorum, acidulis olim inesse dictorum, hîc non facta mentio. Nec nos quidquam invenimus; mansuri proinde in illis duobus, *benignam ipsorum explicationem meditamus*. Scil. ante omnia & sapor non est atramentosus, & gallæ hinc non nigricant. Deinde *Sal* nullum indè excoquitur; nimis paucum est & leve, quod in residuo incocto dubiè gustatur sapidum, quam ut sit ope-ræ pretium. Quod ergò *Sulphur* concernit, hoc non illo sensu vel jure engstingensi possimus tribuere, quo celebri *Reutlingensi*, cuius primitiæ quondam transmissæ *Nat. Cur.* leguntur in *Eph. Cent. IV.* Est huic locus ad radices montium, alpibus versus meridiem conterminorum, & habet usque plures scaturiginum socias. Cùm hæc sit odora sulphureè formaliter, non acidula; illa sapida, sed inodora; moveri posset quæstio: *Utrum altera talium denegare possit*

possit in alteram? Velut inter urceos peregrè advectos perhibetur subinde observari unus & alter, cuius aqua non acidula grata bibi soleat, sed ingrata graveolens vulgo negligatur & recusetur. Nares non ita ferit nostra acidula, non modo cum huc delatae in vase vitro utcunque clauso illas admoveremus, sed & cum ad puteum ibi staremus. Cochlear argenteum mundum crudæ & coctæ aquæ ibi immisum stetit per noctem, nec sub aquâ nec in ipsius summo per circulum quidquam contraxit aut ostendit coloris. Nihilominus non modò olim periculum fuit in ipsius profundo, cum primum foderetur hic fons, sed & quoties expurgatur viros etiam robustos ibi non diu durare posse, constans in pago est assertum, idque in specie, ob gravem odorem sulphureum minabundum. Fieri autem talem putemundationem aliquot annorum intervallis; hinc aliquandò præsentius fuisse periculum, cum diutius illa neglecta, & aquæ exitus in tantum limo fuisset impeditus, hunc removentes deliquium dicuntur passi, sed extractione properâ restituti. Præter hoc argumentum, sc. vix aliud principium arguens, ac *sulphur*, idem quoque confirmat *universalis* ipsius *concurrentia ad metalla*, hoc ipso constituens *minerale* strictè dictum, & multum in specie in *pyrite* s. *marcasitâ*, ut hinc audiat *Schwefel Kies*; solet autem subesse acidulis, & reperitur passim per patriam abunde. Quod itaque saporem aquis largitur, vix illius erit naturæ, quæ specificatur ad *sal marinum*, sed procedet ab illo *principio*, quo plenum est *sulphur*, paucò, mirùm, alterius principii singularis nexu occultatum; imò, quo cum ferro constat *Vitriolum*, cum terrâ *Alumen*.

Hinc ergò ad alterum potius ingrediens aquæ nostræ, alumen, quod forsan hodiè vocabitur in dubium, a nobis proin erit explicandum per *acidum cum terrâ enixum*. Sub quo genere non solum *alumen* in specie dictum, & *sal ab epsom*, sed & plures erunt species, tot, quot *terrarum*. Tale quid inesse huic aquæ primariò probat *sapor*, neque *lixiviosus*, neque *urinosus*, etiam non purè quidem *acidus*, ad non alium tamen accedens magis ac ad hunc modificatum. Ferit utique linguam, pro gradu tamen vehementiæ,

quam exserere potest & alias solet, hic respectivè debile, ex tripli capite, scil. dilutione cum aquâ multâ, ipsarum particularum fortè minus exquisitâ acie, & tandem objecti quod invasit, quo tenetur, conditione. Scil. *terram* dedimus passivam huic activo. *Metallum* enim ut diximus se nondum prodit; *Sal alcali fixum* daret tartarum vitriolatum, qualem ex hâc aquâ necdum obtinimus; *alcali volatile* in ullâ aquarum nostrarum medicatarum etiam non agnoscimus, si propriè sumatur pro urinoso. Quid superest, nisi quod diximus? *A. Pitcarne* in elem. medic. p. 183. aquarum quidem facit mentionem medicatarum, ex chalybe & nitro antiquorum; utrumque suis alibi aquis competit, sensu, quo *salis tartari* hoc dicit simile: Sed quo jure illud dicat speciem *salis volatilis*, hoc in conflictu examinandum erit. Dum pergit: aquas tales domi etiam poteris confiscere, scil. dissolutione *salis tartari* & *salis succini*, cum *ammoniaco volatili*, in magnâ quantitate aquæ fontanæ; hâc quidem ratione cum aquis quibusdam spadananarum & borbonianis &c. obtinebit aquam quæ conveniat in uno tertio, sed in cæteris benè diversam, ut vel maximè fortè proficuam. Agitur autem ibi de remediis ad calculum, colicam, fluxum coeliacum, epilepsiam, quibus omnibus commendatur alcali sic dilutum, ac in aquis nostris neque fixum existit nec volatile. Nec ut dictum *salinum* hoc *principium* separatim hactenus capitur aut concentratur, quod commune fatum est aquarum sapidarum nostrantium, sive spirituosum videatur mereri prædicatum, s. dicatur *pau-cum, fugax, volatile, vel fatiscens, infatuatum*.

*Acidulis* nostris instillatum alcali exhibuit qs. fumum, turbavit mixturam, ita tamen, ut hæc ipsa post moram reclarasceret, sed accessu plurium guttarum successit nova *turbatio*, eaque constans, indè *præcipitatio* sedimenti tenuis, pulvisculi ad fundum, & tenuior adhuc cuticula tenuit aquæ summum. Demissam hanc ex fauibus acidi reputamus terram, cum daretur illi objectum gratius. Aquâ autem caloris vi sensim abactâ, superficiem vitri obduxit cuticula tenuis, & per eam comparuerunt plusculæ sed minuscule *crystalluli*, quales ferè solent esse super alcali per deliquium

quium diutius asservatum, simplices, rectæ, breves, rasis qs. pilis similes: super prunam positæ nec crepitu nec strepitu fuerunt insignes, sed manserunt aliquandiu in eodem. Sedimentum in imo vasis non æquè figuræ exhibuit, sed massulam dedit gustui sal-sam adhuc lixiviosam, quod fortè plus alcali fuerat instillatum, ac ab acido poterat saturari.

Acidulis porrò instillatum *acidum*, bullas, quarum nullæ visæ fuerant ab alcali, excitavit plures, ampliores, minus ad vitrum intus hærentes, magis ascendentes, ac in aliis tunc in urbe acidulis, non tamen exsiliens cum stridore. Scilicet dum *fortius acidum vitriolicum terram invadit, haec tenus hospitium debilioris*, hoc, s. *spiritus cum aere, ab aquâ excutitur, perinde ac ab effervescentibus obtinetur aer artificialis*, quem declaravit præsidis Exc. Dn. Patrus in Diss. curiosa d. *Antl. pneum.* Nec obstat hæc qs. effervescentia quò minus acidum aquæ possit tribui. Sufficiat nobis hâc vice exemplum in *disp. Par. de Nitro* datum, sub formâ primò ænigmatis, sed postmodum evoluti.

Huic etiam principio tribuemus tam *bullulas*, à scobe ferri aquæ injectâ exsurgentes diu, magnas, quam *crocum*, fensim in summo ipsius comparentem: Nisi ipsi ferro sit *sal superficiale*, quod aquâ etiam simplici solutum agere possit; vel ab *alcali* martem solvi regeratur, quod tamen locum hîc habere non videtur.

Cæterùm præsentiam talis acidi probat etiam *Lacmus*, alias aquæ fontanæ colorem *violaceum* jucundum concilians, ab alcali conservatum, à spiritu vitrioli in *roseam* rubedinem mutari solutum; atenim engstingenſi claram *purpuræ* tinturam dedit.

Et solutio *sulphuris* cum alcali facta clara instillata turbata fuit lacteo modo, ad demissionem tardam, cum odore non forti.

Neque tamen plenè sui juris esse illud agens monstravit mixtura aquæ & *lactis* recentis & à vaccâ adhuc calentis, quæ per noctem fuit & mansit sine coagulo, sine grumis, altero mane cum cremore dulci per summum.

Ut sic dilutum, infirmum, dum stat in societate istâ, non eundem respectum prodat ad objecta, alias æquè ipsi opponi visa, sed ad alterum ex ipsis se qs. exserat, respectu alterius ferè lateat. Non

Non prætermittenda erat ratio *situlae*, quâcum ex puteo aqua hauritur: Vidimus autem ipsam ligneam quernam, non nigram, non *incrustatam*, sed quæ qs. sensim consumeretur. *Istud* spectat ad phænomena ferri exclusiva; *illud terræ* conditionem probat, non lapidescentis naturæ; *hoc acrimoniam* arguit.

*Catenæ ferreae*, quâ *situlae* demittuntur & attolluntur, manè sicca rubigine qs. croco obsita comparuit; perinde ac circuli terrei stringentes *situlam*. Intra 50. annos quinque tales catenas & *situlas* in hoc fonte fuisse erosas & consumtas; jam sextam anno priore fuisse suspensam; retulit pagi prætor. Et hoc rationem suam habet ex dictis de scobe martis.

Curavimus aquam *incalescere* super ignem; undè statim copia bullularum magnâ vi erumpentium. Cùm ad stridorem ebullitionis per ventum fuisset, tunc *turbatio albescens*; Tandem vase ab igne remoto, aqua citò satis inclaruit, demissâ ad fundum *sedimento albo terreo*. In altero vase simul notavimus *pisa* incoquendo brevi tempore emolliri.

Hospita videns nos ita occupatos dixit, aquam communiter bibi solitam in usum tamen culinæ ad coquendos cibos non vocari, & siquidem *globuli* ex farina parati cum ipsâ velint coqui, tunc omnia dissolvi & erumpere ex sartagine.

Quod *comparationem* fontis nostri instituendam cum cæteris per patriam medicatis concernit, tantum quidem nos non præsumimus, cùm pro hoc negotio plus requiratur observationum, ac nobis adhuc suppetit. Nec scribuntur hæc, ut acidulas cæteras bibituri avertantur, & invitentur ad nostras; sed exercitii gratiâ, & in gratiam illorum, quibus manendum est in alpibus, ibi ad radices alpium, aquâ nobiliorum fontium destitutis; nec enim *civis contingit adire corinthum*.

Hâc tamen occasione quæri posset, *utrum defecerit aqua in suis viribus decursu seculi?* Rationes dubitandi poscent desumit tam à defectu citatæ *spuma aurei coloris*, ad glaucum vergentis; qualem inter coquendum non vidi: quâm à *tecto*, puteum enim tegit ædicala,

cula, integra, cùm ibi essemus, nec quantum constat excussa. Et vi-  
cini de *sono* aquæ nocturno quæsiti, responderunt, se vel non audi-  
visse ipsum hactenus vel non attendisse; nos ad puteum stantes eum  
utique & vidimus & audivimus motum. De odore & sapore fortio-  
re meminerint forsan seniores. Recens quidem effossio & eruptio vi-  
detur importare spirituosiorem turgentiam, libero fluxu & accessu  
aeris dissipandam vel exhauriendam: Constantia tamen naturæ cir-  
ca tales fontes sapidos magna observatur aliàs per secula.

Tales cùm sint acidulæ nostræ, ut cæteræ pleræque omnes no-  
stratum, & exteris cedant tam quantitate contentorum quam quali-  
tate saporis, utrum ex hoc capite dicendæ sint *inertes*, vel *æstimandæ*  
*ut tutiores?* nostrum non est judicare, problemata tamen disputationi  
aptum censemus, cujus ventilatione nos exerceamus, in utramque  
partem pugnaturi.

Quo ipso tandem accedimus ad *usum aquæ engstingenfis*, quem  
in genere ex conditione sociarum publicè magis notâ faciliùs præ-  
sumimus, ac in specie determinamus ad id, quod illi proprium est,  
quia urbi minus notum. Interim à priori *aqua clara*, *viva*, habebitur  
*diluens*, *eluens*; substantia quæ ipsam actuat *salino-aerea*, naturam  
monebit, movebit; *terra* subtilis in cå latens modestè *siccandi*, ab-  
sorbendi, secum præcipitandi heterogenea corporis nostri, *vina*  
promittit. A posteriori procedendum est per observationes, ubi  
non dubitamus proponere, quæ ex discursu cum incolis, ex rela-  
tione vicinorum, nobis suppetunt. Ante omnia miramur *usum ibi*  
*qs. universalem*, & ferè promiscuum: Testimonio fuit ut dictum  
fons ad æstatis finem propè exhaustus, tunc non æquè quidem di-  
ves in se, sed insuper tamen pro potu pagi & viciniæ expetitus quam  
maxime. Communem habet cum cæteris per patriam acidulis hanc  
approbationem, sc. bibi ab infantibus & senibus, sanis & ægris, &c.  
(uti e. g. Gœppingæ observavit & retulit Exc. Arch. Dn. D.  
Moegling.) Forsan ex duplicitate: *Et benè sapit, nec male cedit.*  
Illud verò paradoxum de aquis diversis in alpibus idem suo modo  
judicium! Novimus enim alpicolas ulteriores, superiores, *aquas*  
*suarum cisternarum* præferre in potu *aquis vivis* clrioribus abunde  
*fluentibus* per subjectas *valles*, provocando inter alia ad casum

potū largi tempore laborum æstivorum in campo, messē, & prætendendo, suam istam, utcunque nobis eò fortè ascendentibus non probetur, ut ne equi quidem lubentes bibant, sed fastidiosè recusent, sibi tamen familiarem nec ingratam esse nec periculosam, modò suppetat recentior, sic bībī liberius, audaciūs, securius, secus ac fieri soleat in vallibus a potu frigido incauto ipsis eò descendētibus malè cessisse observato. Quanquam enim alpes asperiore frigore minus videri possent siticulosæ, æstivus tamen calor sub favore anni unius præ altero ipsas quoque satis torret, vel frumenti argumento, quod fortè diu hærere visum brevi tamen maturat efficaciter. Quod ergò isti de suâ cœlesti perhibent, id pagi nostri incolas audivimus etiam audacter afferere de suâ acidula, scil. de grato & tuto ipsius potu. Nos magnam *consuetudinis* vim esse non ignari, siquidem & hīc à teneris assuescere multum est, tantisper ipsis indulgendo credimus, donec aliter informemur. Non parum fortè contribuet durum à stirpe genus, quod ad imitationem illius Itali sine cujuscunque injuriâ dixeris esse pro suis montibus, uti alpes pro suis incolis.

De miscendo vel temperando *vinocum aquâ* hac acidulâ quam benè succedat vel quam laudem id mereatur, an æquè ac ipsi consimiles, nobis nondum satis constat. Vix quidem cura erit de illo vino, quod colitur in vallibus ferè ad ipsas alpes usque, nam generosum non est. Non nisi spiritu plenum dilui poscit, vel alternabit, cum aquâ. Quod *Verulamius* in hist. vit. & mort. (*Juvenili atate, & maximè iis, qui habent ventriculum satis fortem, prodet haustus bonus aquæ puræ crudæ, in introitu lecti.*) hoc alias narrarunt experti & laudarunt, quibus per diem erat haustus bonus boni vini. Perinde ac moris est, in acidularum curâ prospicere ita stomacho. Sed & hæc aquæ & vini successio & alternatio invicem, latius se extendit per artem, ad ipsas acutas, si non sub nomine horum duorum simplicium, tamen his similiū & convenientiū.

Sive maximè autem sanis dicantur omnia sana, nectales alpicola nostrum modò consilium desiderent, quærendum erit porrò de ægris; ubi si eosdem præcones audias, aqua nostro remedium etiam

etiam præbet ipsis evporiston & polychrestum. Quandoquidem verò sunt, qui metuunt subesse hyperbolas, & non æquè magnifice de acidulis sentiunt, excipientes, effectus ipsis adscriptos non esse nisi temporarios, imò quandam qs. servitutem inferentes ad repetendum ex consuetudine, & non tam curationem ingravescientium & inveteratorum morborum, quām præservationem modò leviorum affectuum, ipsis posse concedi: postulatum igitur est non iniquum, ut remedium tale (sensu non malo) empiricum per observationes personarum & morborum, modorum utendi & operandi, & cæteras circumstantias, determinetur accuratiùs.

*Ill. Stahl. d. Font. Sal.* Rara enim est reflexio super id, quod fit, modò fieri moris sit, nisi quis crasso gravique errore impingens, discat posthac cautius mercari. Sic nostri aquæ potores quæsiti de prærogativâ, quam videantur habere præ aliis ibi locorum, quam sint vel sani præ vicinis, vel præserventur à morbis? Contenti suam in genere laudas, ejus salubritatem deprædicarunt, morbis quidem propriis se non obnoxios, ab epidemiis tamen & communibus nec liberos confessi sunt.

De advenis dixerunt, ipsis efflorescere quid per cutem scabiosi, leve, breve, quod imputari soleat huic potui insueto; quæ culpa plurium aquarum novo usui passim adscribi solita transmitti possit, nisi hoc videatur singulare: ab aquâ alpestri sapidâ contingere, quod à mollioribus modò, vel potius, videretur metendum, & deducendum ab impuritate alterius generis & regni, si quidem scabies causam velit habere animatam, cum hîc particulæ subtiliores acriuscûlæ per diaphoresin quærentes exitum possint sufficere.

Illa magis attendi meretur observatio, quâ ferunt, morbum quempiam *in fieri & corpore latentem* adhuc, vel causam occultam visceribus inhærentem, moveri harum acidularum potu, ut in actum erumpat; ad duplicem explicationem, vel in bonum, si quidem natura rectè agens superior evaserit viætrix, vel in malum, promovendo fatum importuné, intempestivè, motâ qs. caminâ; (uti alias externi quidam tulerunt prædicatum, noli me

tangere.) Ex capite quidem tam frigiditatis quam saporis acris, cui ferendo non sint pares personæ teneriores, pectore in primis & stomacho infirmiores, mobiliores, illud deducemus; *remedium autem huic periculo quæsิตum fuit olim in disp. in aug. d. aq. medic.*

Respectus ad *alvum* variè se habet: Fuit, quem in curâ superveniens fluxus non deterruit, quin pergeret, & observaverit, huic suum fuisse modum; sub congruâ utique diætâ, & non nullâ pharmaciâ. Fuerunt autem plures, queruli per curam de *alvo tardâ, siccâ, quod solenne est sub & à potu cæterarum quoque acidularum nostrarum, adeò ut omnis temporis practicorum institutio-*nes dederint consilia huic molestiæ: Quæ utrum debeatur *alumi-*ni, quod hujusmodi aquis inesse dicebatur, judicari poterit ex su-*prâ dictis; aliae nisi alkali vel enixo fuerint benè foetæ, vim mo-*vendi per se non exserent. *Per accidens* autem major bibitarum quantitas, vel æstas, bilis, refrigeratio, diæta, &c. *alvum* fortè per-turbarunt. Non æquè huc tendunt acidulæ, quin hinc naturam qs. avertunt, *ducendo ad urinæ vias*, ubi ferè tantum alteri dece-dit, quantum alteri accedit, ut ferè ambiguum sit, quid prioris ha-beat rationem quid posterioris, nisi quod res tales soleant ire per circulum. *Listerus* ad *Sanctorium* ab aq. medicat. metuit suæ per-spirationi insensibili, hinc ut alibi, sic ad aph. 67. l. 3. (*Aqua potatio insensibilem perspirationem impedit, auget tamen sensibilem.*) in exemplum ad latus ponit quidem ferrugineas, sed sub com-muni cum nostris respectu, scil. reddi eodem pondere intra 3.cc. à potu horas per urinæ itinera. Ab hâc diuresi illud diaphoreseos præjudicium. *Igitur de istiusmodi aquis per dies plures immodec potandis, ut moris est, quatenus iste aphorismus verus sit, ii videant,* qui has ægrotis suis propinant. *Profectò si insensibilis perspiratio tan-tum ab iis minuatur, quantum sensibiles evacuationes per urinam dejectionemve vehementer augeantur, corpori graviter damnosæ futurae sunt, certè valetudinariis.* At insenibili perspirationi, utpote omnium evacuationum longè primaria, summoperè cavendum est. Poterit ergò observati & applicari suo modo huc aph. 14. *Robustus ciborum plenitudinem absunit per insensibilem transpirationem:* mi-

*nus robustus per urinam : debilis magnâ ex parte per chyli cor-  
ruptelam.*

Sed & à Patrono aquæ nostræ audivimus laudes ipsius ad *Co-licam*. Constat autem ex *Disp. Avitis & Paternis d. Col spasm. & par.* acidulas olim morbo à calore debili, cui carminativis calidis sit opus, paradoxè opponi visas, præter tamen opinionem ipso usu non modò salubres fuisse comprobatas, sed & de affectu & causâ alium evicisse conceptum, & confirmasse curationem per temperata & temperantia, quin frigida. Sed de hoc non satis constat, utrum hodie à *Colicâ* tali liceat concludere ad sublatens, quod extimo planetarum respondeat, *metallum*? Scil. quid Alpibus cum Mangonio vinorum? Quasi verò impostura non rectè fuerit dicta mundi anima ab archiatro pontificio. De ludimastro quidem relatum nobis olim, qui non dubitaverit asserere bonâ ut putabat fide, reverà malâ, vinum sic ex tempore, in nuptiis e. g. edulcoratum, ibi locorum hospitibus, maximè fœminis, sapuisse bene, & bibitum fuisse innoxie. Sed docuit tempus sequens, ca vere. Multum autem importat modus, dosis, circumstantiæ, & variat effectus, prout in subjectum diversum ceciderit causa. Verum de his ex professo actum fuit olim sub præsidio Exc. Arch. & Prof. Dn. D. Zelleri diss. singulari.

Sunt denique subinde dubia symptomata, quæ in antecessum animos tenent suspensos, utrum inchoandum, & quæ ac in progressu, an pergendum cum acidulis, quin rationem exercent de præterito, in reddendâ causa, & cautè distinguendo in posterum, cui sint in casu simili suadendæ, dissuadendæ. Inter illa censemus & *Catarrhos*, dum subrauci, tussientes, prætendunt, quin observantur inde non passi exacerbationem, sed potum suspectum superasse feliciter, & sic tulisse, cui ferendo vix videbantur pares. Quid ætas, ætas, temperamentum sanguineum, importaverit, cum Opp. erit consultandum. De *Ictericō* quodam audivimus nuper consultationem fuisse ambiguam, successum tamen felicem, prævalente

sc. usum aquæ nostræ suadentium autoritate. Et mererentur at-  
tendi circumstantiæ plures, & possent dati regulæ pro usu legi-  
timo: Verùm ista modò sufficient, cum Deo & die perficienda.  
Supersunt

## COROLLARIA.

**G**lobus nuperus, luminis & cursus mirum quanti, certè tanti,  
ut tam Venetis fuerit visus quàm Tubingæ, an Meteoron  
Igneum? Fuit ex nostris, ferè ante seculum, qui similem (sed, quod  
nos vexat, in plagam oppositam) conspicatus hoc negavit, ex rationibus sa-  
nè multis & fortibus, substitutâ ideâ benè aliâ, eo ipso singularis itaque di-  
gnus, cuius vel hâc occasione renovetur memoria: sc. B. Schickardi.

Vidimus nuper Rusticæ vetulascens paroxysmos, queis ab anno  
est obnoxia, quassatorios lateris dextri, & audivimus præconium  
pænitentia voce qs. fracta, mirabundi convenientiam cum inspiratis,  
quibuscum tamen ipsi nihil fuit commercii. Utrum principium ta-  
lium actuum sit anima, vel genius, quem ipsa prætendit, si placet,  
disputabimus, memores quinti in I. aph. I.

Sed & dandum aliquid amicis commendantibus admiranda me-  
tallifodinæ priùs laudatæ, juxta ordinem quidem quatuor elemento-  
rum: Quàm mirum statim est phænomenon Ignis subterranei! Non  
spontè, sed à lampade fossoris proprius admotâ, primùm emicuit flam-  
mula, qualis à vini spiritu cœrulea, lambens qs. tractum venæ, in-  
noxia diu, sed progressu adurens fossorum minus cautos, alias flatu extin-  
guenda. Duo sunt ibi: Saxum nigrum fissilis naturæ, non tamen a-  
què ac alibi in laminas scissile, & marcasita: Illud bituminosum, hæc  
sulphurea; Sed flamma est inodora. De isto vid. Jonston. in Thaum.  
illam apud Stahl. d. Vitr. Cæterum metalli exhalationes, coruscationes,  
auswitterungen, dabit Becherus in phys. subt. Plura scriptores Itali;  
add. Obs. Exc. Dn. D. El. Camer. in Diss. Taurin. p. 328.

Non minus ibi singularis est modus aeris: Diu flandum fuit fol-  
libus amplis fortiter, ut durare potuerit in puteis tam vita quàm  
lampas fossorum, sed postquam deventum est in profundum vel 100.  
orgyia-

orgyiарum, vivitur ibi satis commodè, nec opus est amplius ullo follium flatu, nec hæc extinguitur, nec illa pericitatur. Cùm nobis non constet de ratione, quâ externus superius aer cæperit eò descendere liberior, adeò vegetè, an ergò per saxum vel venam erumpit & exspirat modo quodam raro, ceu pretenditur, aura quædam elastica? Æstas docebit, quantum hoc debeat hyemi.

Porrò, quanquam siccii fuerint putei post primum inferiores, habet tamen tertius & quartus aquam in fossulâ collectam, odoris sulphurei, saporis salsi, testimonio lunæ ibi nigricantis, hic cubulorum crepitantium. Incerta adhuc nobis est ejus origo, videtur autem operæ pretium ob has qualitates in eam inquirere. Pulveris pyrii toties pro effringendis saxis accensi an etiam habenda ratio?

Denique terra ibi occultat saxum illud nigrum, ad tantam profunditatem idem, & cum extensione in longum & latum ad multa milliaria. Per illud decurrit vena spati pyritifera; sub hoc videtur latere metallum nobilius. Interim se obtulerunt fluores, lapides figurati, &c. Sed paradoxon cæteris majus & recentius dedit vena nuper in imo aperta. Dum enim ipsam prosequuntur fossores, vident evolare nescii quid, cum stupore, sc. Infecta; quale nobis quoque oblatum, in calore hypocausti qs. reviviscens, anelytron, quadripenne, duabus antennis simplicibus longis, & præter caudam brevem longiore aculeo præditum, fuit coloris nigro-flavi. Hic jam disputent nobiscum, qui volent, utrum hæc ex familiâ vesparum & crabronum, in tam profundo & solido, fuerint recens genita, vel ab olim hic relicta, vel per præstigia huc delata? Bufones quidem & pisces fossiles Hellmontius & Luydius, Theophrastus & Agricola, &c. tradiderunt; eorum & mentionem fecit Jonstonus l. c. pag. 175. 428. quibus tamen adde pag. 174. de carne fossili: Sed contra tale quid protestantur nostri omni modo, etiam negant, adhæsse illa modo in superficie, vel latuisse in rimâ vetustâ, sed tenent fuisse, venisse, in & ex recense fracto saxe duro. Acutè lusit, qui cùm evolarent prima præcisæ tria, symbolon ea dixit trium principiorum chymicorum, salis, sulphuris & mercurii.

**D**um scrutaris Aquas, acidumque inquirere fontem  
Gaudes, perpetuo Laus Tibi fonte salit!

*Nobil. D. Respondenti gratul.*

**ELIAS CAMERARIUS, D. Fac. Med. Dec. Arch. Wirt.**

**P**recemur ergò rite bibentibus  
Aquas Salutem, queis sapor acrior  
Et gratiam & vires adauget,  
Ut benè proficiant diuque!

**A**crys aquæ Vinique boni non improbo potum,  
Si modò quis medicâ sub ratione bibat.

*Strophâ non contento, requirenti distichon, gratificari voluit*

**RUDOLPHUS JACOBUS CAMERARIUS. D.**

**Q**uando salutiferi scrutaris commoda fontis,  
Sit felix Studium sitque salubre precor.  
Ut tandem in praxi feliciter omnia cedant,  
Nunquam ab inexhausto FONTE SALUTIS abi.

*Ita Nobil. Dno. Resp. Convictori quondam suo estimatissimo applaudere voluit*

**JOH. EBERH. RÖSLER,**

**Phil. Pr. P. Duc. Stip. Ephorus.**

**G**ratulor Elwertis Elwertum, Grator Eidem  
Quæ Studium Medicum præmia digna dabit.

*In honorem Clarissimi Domini Respondentis, de Acidulis cum adplausu disputantis, gratulabundus scribebat*

**JOHANN CONRAD CREILING.**

*Physic. Experim. & Math. P. P. Ord.*

**E**xploras quicquid Vicinia fundit alitque;  
Esse Tuæ nec vis Hospes, Amice, domi.

*Ita doctissime Domino Respondenti, Convictori suo suavissimo, applaudere voluit*

**CHRISTIANUS HAGMAYERUS.**

**Phil. Pr. & Rat. Prof. P. & Contub. Rector.**

**E**volet Insectum; Maneat Fortuna superstes,  
Et sic ubique Tibi Dux Deus, illa comes!

*Clarissimo Dno. Respondenti,*

*In spem Patris & Patriæ studia feliciter dirigenti, applaudit*

**PRÆSES.**